

4^o

Philos.

875

THESES PHILOSOPHICÆ,
Ex

LOGICA,
PHYSICA, ET
METAPHY-
SICA.

IN CELEBRI ET CA-
THOLICA ACADEMIA INGOLSTA-
diensi, *finiente Cursu, à duobus è Societate*
IESV, *publicè ad disputandum,*
die 3. Iulij proposita.



INGOLSTADII,
EX TYPOGRAPHIA EDERIANA
apud Andream Angermarium.

Anno M.DC.VI.

DISPUTATIO
EX VNIVERSA
PHILOSOPHIA.

T H E S I S P R I M A.



Logica docens, quæ rediffert ab vtente, est habitus instrumentarius, Philosophiæ pars, & scientia non nisi improprie practica: à S. August. lib. 7. de doctrina Christi. scientia de signis appellatur: habet pro subiecto attributionis argumentationem, pro subiecto adæquato ens rationis Logicum, siue conceptus mentis, quatenus signa sunt, & loco rerum significatarum interiorum animi orationem ingrediuntur.

II.

Cum vniuersalia alia sint res, alia signa; hæc autem formaliter sint vniuersalia, illa fundamentaliter & denominatiue tantum; conueniens est naturæ Logicæ, vt vniuersalia signa potissimum consideret; quemadmodum & Porphyrius fecit in Hægoge, vbi quinque huiusmodi vniuersalia rectè assignauit; Genus, Speciem, Differentiam, Præprium, & Accidens.

III.

Prædicamenta Logica 10. numerantur, & nihil sunt aliud, quàm simplicium orationis partium sub vno summo genere coordinationes. Igitur in prædicamentis (id quod voluit Græci omnes, ait Fons. lib. 5. met. c. 8. q. r. l. 6. & Latini complures) simpliciter nomina sunt ponenda: in prædicamento substantiæ quidè, quæ substantiam tantum significant: in 9. reliquis, quæ denominant accidentaliter substantiam, alia atque alia denominatione: Neque necesse est, vt nomina singulorum prædicamentorum significant res inter se realiter distinctas. Quanti sunt septem species. Relationes non sunt entia distincta realiter à suis fundamentis, sed sola ratione.

IV.

Omnis enunciatio constat nomine & verbo: nomina nunquam copulæ locum obtinent, verba semper. Substantium verbum (EST) in propositionibus necessariis & scientificis absoluitur à tempore, non item in contingentibus, est tamen verbum in omni propositione proprie dictum. Argumentationis sunt quatuor species, syllogismus, enthymema, inductio, exemplum. Syllogismus definitur, oratio, in qua positus quibusdam, aliud quiddam ab eis, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eò quòd hæc sunt. Inductio est argumentatio à singulari ad vniuersale progrediens: in quo progressu necessarium non est, vt in antecedente omnia singularia enumerentur, satis est enumerasse tot, quot experimentum alias constituere possunt.

V. Quo-

V.

Quoniam demonstratio est syllogismus pariens scientiam, idcirco debet consistere propositionibus veris, indemonstrabilibus, & causis conclusionis. Per causas hæc non intelligimus tantum reales & physicas, sed logicas, hoc est, rationes, quæ apte afferuntur ad questionem propter quid. Per propositiones veras intelligimus ita veras, quæ falsæ esse non possunt: de his enim habentur scientiæ tanquam de obiectis & scibilibus proximis, quæ ab Aristot. æterna, ingenerabilia, incorruptibilia nuncupantur. Illius dicti (de ente per accidens non est scientia) sensus est, quòd de propositionibus contingentibus non sit scientia. Propositionum contradictoriarum de futuris contingentibus est vna determinatè vera, altera falsæ.

VI.

Esti probabile ab aliquibus putetur, habitum scientificum conclusionis consistere in sola coordinatione specierum intelligibilium, vna cum naturali lumine intellectus, probabilius tamen est, esse quandam promptitudinem in iudicatio intellectus. Scientia totalis non est vna simplex qualitas, vnitatem tamen suam sumit ab vno subiecto attributionis, prout illud substat proprio modo considerandi, qui modus vocatur ratio formalis sub qua, estque in speculatiuis scientiis definitio formalis seu essentialis subiecti; in practicis verò definitio finalis. Possunt scientia & opinio de eodem obiecto stare in eodem simul intellectu.

VII.

Suppositio est acceptio terminorum in propositione pro iis, de quibus verificari possunt secundum easdè differentias temporis, quæ à propositionis copula denotantur. Eius duæ præcipuæ sunt species, materialis & formalis. illa est acceptio termini pro seipso; hæc est acceptio termini pro significato suo, quod arbitrato hominum significat. Absolutam suppositionem, quam Fonseca, acceptionem nominis communis pro suo immediato significato, non præcisam tamen, definit, Dialectici alij vt non necessariam omitunt. Porro omnis propositio affirmatiua, in qua subiectum non supponit, falsæ est.

VIII.

Physicæ subiectum attributionis est corpus naturale, subiectum adæquatum ens naturale, ratio formalis sub qua, motus. Principia intrinseca transmutationis sunt tria: materia prima, priuatio, forma substantialis. Materia prima est pura potentia subiectiua, ingenerabilis, incorruptibilis, habet existentiam independentem à formis. Priuatio non differt subiecto à materia prima, sed ratione: significat enim absentiam formæ à subiecto apto, siue, quod eodem recidit, subiectum aptum recipere formam absentem, & generandam. Forma est præstantior materiæ, & sine hac subsistere non potest, ex cuius potentia educitur, constituitque; eum illa vnum per se compositum, nisi de animatis loquamur: nam partes physicè componentes animal, non sunt materia prima & anima, sed corpus organicum & anima.

IX.

Natura est principium & causa, vt id moueatur & quiescat, cui inest per se: verba illa (& quiescat) copulatiue explicanda sunt, non distinctiue. Naturæ imitatrix est ars humana, quæ definitur habitus intellectus recta cum ratione effectiuus. Differt ars à natura, quòd hæc producat è subiecto præsupposito formam aliquam realem, illa non producat, sed faciat tantum, vt ea, quæ iam antea producta sunt, aliter atque aliter se habeant.

X.

Formæ substantiales tantum mediis qualitatibus agunt; & in producendo dependent à subiecto sustentante. Deus, qui est efficiens simpliciter principale, sicut proprie

præ dicitur cælum & terram creasse non generasse, ita illa, quæ immediatè cum causis secundis, tanquam causa partialis, producit, rectè dici potest creare, latè accipiendo creationis vocabulum. Inter secundas causas intrinsecæ sunt materia & forma: ad huius causalitatem spectat informare materiam; ad illius, sustentare formam, ad vtriusque compositum constitueret neutrius tamen causalitas est entitas ab ipsa causa distincta.

XI.

Finis & efficiens sunt extrinsecæ causæ; ille causat, quando sui amore (qui non debet dici finis effectus) mouet efficiens ad aliquid efficiendum; hoc causat, quando ab ipso realiter mouente procedit effectus. Causalitas tamen efficientis non est modus aliquis realis superueniens vel effectui, vel efficienti, sed est ipse effectus procedens à sua causa: quod idem de finis causalitate iudicamus. Finis causat secundum esse reale, semperque boni, aut honesti, aut delectabilis rationem induit, vtilis nunquam. Idea tam creati, quam increati artificis, est ipsa formalis cognitio, & pertinet ad causam efficientem.

XII.

Quantitas nec generatur nec corrumpitur, est accidens à materia prima realiter distinctum, quod idem manet sub varia figura, raritate, densitate, quæ non sunt reales & physicè inhærentes qualitates. Innotescit autem quantitas ab effectu suo, qui est, extendere actuali extensione partes materiæ, ita vt vna pars extra aliam sit, & non sinat se ab alia penetrari: quamuis effectus iste, salua quantitate, supernaturaliter possit tolli.

XIII.

Continuum quodlibet in proportionales partes diuidi potest in infinitum syn-categorematicè; nam infinitum categorematicè in rerum natura nõ datur etiam diuinè virtute. Deinde sicut oculis videmus in corporibus physicè ac realiter existere superficies, quæ tamen non sunt realiter distinctæ à corpore, ita è contrario nullas existere lineas, nulla puncta, seu copulantia seu terminantia, pro certo habemus.

XIV.

Locus est superficies corporis cõninentis prima & immobilis. Si in vacuo, quod naturaliter dari non potest, corpora grauiæ & leuiæ ponerentur, per se ipsa non mouerentur, non tam quia cæli influxu carerent, quam quia non haberent sibi contiguum corpus grauius aut leuius. Motuum vero illorum, qui fiunt ad vitandum vacuum, causæ efficiens extrinsecæ est, & violenter mouet.

XV.

Hac definitione, motus est actus entis in potentia (id est corporis sublunaris) quatenus in potentia, cõprehenduntur quatuor genera motuû, alteratio, generatio, augmentatio, motus localis. Alteratio est qualitas, put successiuè & cõtinuè in subiectu introducit: accretio est extensio animati ad maiorem locum, propter accessum consimilis sibi substantiæ maioris quam amisit: Motus localis est quo locus acquiritur.

XVI.

Motus prout recipitur in mobili pertinet ad prædicamentu passiois, ad prædicamentum actionis verò, prout à mouente procedit: desinit & incipit extrinsecè. Quæ autem simul, atque indiuisibiliter corrumpuntur aut producuntur, vt formæ substantiales, extrinsecè desinunt, incipiunt tamen intrinsecè. Problema esto, proiecta vel ab aère, secundum Aristotelem, vel à virtute impressa, secundum recentiores, moueri. Corpora inanimata non habent in seipsis principium effectiuum suorum motuum naturalium, sed à generante principaliter mouentur.

XVII.

Tempus est numerus motus secundu prius & posterius. Duo includit in sua ratione. Primum quasi materiale, quod sit duratio motus primi & vniiformis; alterum quasi forma-

formale, quod sit mēsurā omnium eorum, quæ suæ durationis finem & principium habent. Duratio secundum rem non differt à rerum existentia, ideo pro varietate rerum existentium præcipue res durationes assignantur, æternitas, æuum, & duratio temporalis. Quæ instantanea sunt, mensurantur instanti, non tanquam mensura proprie dicta & positua, sed quasi negatiua.

XVIII.

Mundus iste elementaris à Deo gubernatur, vt ex rerum ordine cõstat, & ab ipso fuit verno tempore ex nihilo creatus, propter increatam bonitatè eius tanquam propter finem: & conseruabitur in æternum, licet non potuerit esse ab æterno, etiam per absolutam Dei potentiam, vlla creatura.

XIX.

Vtrum cæli consistat forma & materia: sine materia ipsorū eadem cum sublunari, sunt quæstiones quæ in vtramq; partem non sine auctoritate defenduntur. Terra cū aqua vnum globum constituit, manetq; immobilis: eius centrum idem est cum ipso cẽtro mundi. Grauitas & leuitas sunt qualitates in elementis oibus eiusdem speciẽi: elementa media de vtraque participant: omnia autem in locis proprijs quiescunt.

XX.

Cæli agunt in sublunaria lumine & motu, (& fortasse alijs etiã influentijs) ideo nobilior & superius elementum plus sibi caloris vendicat, ita vt ex motu summum calorem & siccitatem acquirat, & ignis dicatur: aër habet remissum calorem cum remissa humiditate: terra in infimo mundi loco posita summum frigus cum summa fortasse siccitate: aqua paulò eleuatur paululū etiam caloris cum summa humiditate sibi deposcit.

XXI.

Omnium meteororum materia est vapor & exhalatio, quin & lapidū, auri atque argenti. Copiosa exhalatio vi solis collecta, si intra frigidam & densam nubem accendatur, vocatur fulgur: si arctius conglobetur & impetu magno nubem perumpat, facit conitru, & dicitur fulmen: si per antiperistasis reiciatur à frigore mediæ regionis aëris, est ventus: si sub terra includatur, vt non possit habere exitu, terræ motum efficit: Fontes & flumina in terræ poris originè suæ generationis sortiuntur, dum illic in clausis aër cum crassis vaporibus permixtus frigore terræ in perennes aquæ guttas conuertitur.

XXII.

Generatio est mutatio totius in totum nullo manente sensibili tanquam subiecto eodem. In corruptione corporum inanimatorum accidere potest, vt resolutio fiat vsque ad materiam primam quoad formas substantiales, in corruptione tamen animatorum remanent formæ partiales. Accidentia vero nonnulla, quæ fuere in corrupto, persistant etiam in genito. Demum generatio hominis est proprie dicta generatio.

XXIII.

Qualitates intenduntur additione gradus ad gradum. Vt autè agens aliquod in passum agere possit, debet illi non solum immediate cõiungi, sed etiam in qualitate & gradu dissimile esse. Omne etiam patiens reagit in id à quo patitur; non tamè agit quicquam in se ipsum vniouca aut corruptiua actione. Antiperistasis est roboratio calidi aut frigidi propter contrarij circumobstantiam. Non potest quodlibet elementum immediate commutari in quodlibet.

XXIV.

In mixtione, quæ est miscibilium alteratorū vniõ, terræ & aqua, sæpe etiam aër, habent se per modū materiæ atq; subiecti, calor verò vel ignis vel cæli, est instar artificis mixcentis & efficientis mixta composita, in quibus elementa non manent secundum formas suas substantiales, sed secundum vires & qualitates inuicem refractas: atq; hæc qua-

litates ita inter se refractæ temperamentum vocantur. Mixtorum corruptio naturalis, quæ putrefactio dicitur, definitur ab Aristot. corruptio proprii & naturalis caloris in humido refidentis, propter calorem extrinseci ambientis.

XXV.

Anima est actus primus corporis naturalis potentia vitæ habentis; atq; haud dubie organici. Potentiæ animasticæ non realiter tum à seipsis, tum ab anima sunt distinctæ, sed sola ratione, quæ rationis distinctio desumitur ab operationum diuersitate. In vno viuente non est nisi vna anima: ea in solo homine est immortalis, ingenerabilis, immaterialis, indiuisibilis, tota in qualibet parte, & tota in toto corpore.

XXVI.

Defluxum partium viuentis, qui fit caloris continuè humidū absumentis actione, restituitur natura per nutritionem, conuertendo scilicet alimentum in viuentis substantiam. Purum elementum nequit esse alimentum. Aliquando quidem minus, aliquando etiam plus quam deperditum fuerat, restituitur: & hoc posterius ad augmentationem pertinet. Non tamen hinc sequitur, viuens idem numero toto vitæ suæ tempore non permanere. Quoniam autem id, quod per nutritionem acquiritur, semper est deterius, quam amissæ partes fuerint, idcirco viuens naturaliter nõ potest effugere mortem, quæ est abcessio animæ propter defectum calidi innati.

XXVII.

Pulsus est actio peculiaris præcipuè cordis, deinde arteriarū, quæ mouentur distensione & contractione à facultate vitali, vt calor naturalis in sua temperie conseruetur, & in cerebro generentur spiritus animales. Spiritus vitales in sinistro cordis sinu coquantur, admixto aëre, qui per inspirationem in cor attrahitur: differunt non minus specie à sanguine alimentitio, quæ à spiritibus animalibus. Venæ cauæ origo est ab hepate, sanguinis videlicet alimentitij præcipuæ officinæ; terminatur autem in corde: sanguis verò quia alimentum est viuentis, non viuiri.

XXVIII.

Animalium omnium semen præditū est actiua qualitate seu virtute efformandi animandiq; foetum: quæ virtus non est anima, sed calor complantatus. Ordinem hunc seruat natura in generatione animalis, vt primò hepar, secundò cor, tertio caput effingat. Atque hæc tria membra præcipua sunt in corpore, inter quæ tamen si comparatio instituat, caput seu cerebrum primas tenet, quia præcipua sedes est animæ sensitivæ.

XXIX.

Quemadmodū operationes vegetatiuæ in solo corpore, ita operationes sensitivæ in sola anima recipiuntur. Quare sensatio formaliter non consistit in receptione specierum sensibilium, sed in eo, quod anima in organo existens, percipiat & cognoscat obiectum, à quo transmissæ sunt species ad organum: quanquam interim non negamus, quin species ad omnem sensationem sint necessariae, actiue tamen neutiquam ad illam concurrunt. Sensibile commune per propriam speciem sentitur, est enim sensibile proprium, attamē taliter vel taliter modificatum. Circa commune errare potest sensus, circa proprium vix potest.

XXX.

Color & lux est adæquatam visus obiectum. Lumen, quod est actus perspicui non tantum est realis qualitas, sed etiā species intentionalis corporis lucidi. Auditus obiectū est sonus, qui definitur, motus aëris ex collisione duorum corporum. Subiectatur sonus in aëre & realiter non potest producere alium sonum, sed mittit species suas ad sensum, quæ al iquando, repercussæ faciunt vt eundem sonum bis audias. Odor qui residet in sicco superante humidū, in carunculis mammillaribus percipitur tanquam in proprio sensorio.

Sapor, qui est in humido superante siccum, sentitur in linguæ neruis, non in carnes quæ se habet per modum medij. Nerui quoq; organum tactus sunt; qui materialiter vnus est, formaliter plures.

XXXI.

Sensus interni sunt quatuor, sensus cõmunis, phantasia, estimatiua & sensitua memoriaroperantur omnes per eadem species à sensibus externis transmissas. Sõnus definitur naturalis cessatio animalis facultatis ob irrigationem vaporis ex alimentis coactio in cerebrum eleuari, vt interim animi vires reparentur, & corpus recreetur. At verò somnium est operatio interioris sensus, sopitis exterioribus.

XXXII.

Quia omnis cognitio fit per intentionalem seu spiritualem assimilationem cum obiecto, ideo indiget formis representantibus, quales sibi, pportionatas ipse fabricat in intellectu, materialia phantasmata speculando: vnde fit, vt in hoc corpore existens, quiescente phantasia, operari non possit, & solas res sensiles directè percipiat, ppter maxiam, quæ illi cum cõparte sua intercedit, familiaritatē. Animam rationalem extra corpus posse intelligere, certum est, etiam apud Aristotelem, sed per quales species? Deus illi in fundit, si non habeat antea acquisitas; aliàs retinet etiam quadam, quibus memoria intellectiua in hac vita vsa fuerat. Probabile est vnam animam rationalem altera perfectiorem secundum substantiam à Deo creati.

XXXIII.

Intellectus simpliciter apprehendens obiectum est ens, verum; complexè apprehendens tum ens, verum, tum non ens, falsum. Actus iudicatiuus duplex est, assensus & dissensus: & semper habet pro obiecto proximo apprehensionem complexam. Prosequens voluntas tendit in bonum ab intellectu pratico iudicatum; fugiens verò in malum, itidem practicè iudicatum.

XXXIV.

Metaphysica prout est particularis scientia speculatiua, versatur circa spirituales substantias, quatenus spirituales sunt; prout autem munus sapientiæ exercet, reliquarumque scientiarum Domina dicitur, ens reale vt reale considerat: vnde patet ens illud rationis, quod tantum potest obiectiue existere in nostro intellectu, & penitus nihil est hoc posteriore Metaphysicæ obiecto nullo modo comprehendi.

XXXV.

Conceptus formalis entis est vnus, obiectiuis verò non est vnus re, sed ratione. Essentiæ rerum creaturarum, ante sui creationem, non habuerunt aliquod qualecunque esse ab æterno, & ab existentiis non plus quam ratione differunt.

XXXVI.

Vnum, verum, bonum, etsi realia sunt, attramen ab ente sola ratione distinguuntur, proinde nõ physica, sed logica passiones, id est, posteriora quædam necessaria entis attributa censentur: Scientificè non possunt omnes demonstrari de ente. Vnum est ens indiuisum in se, siue à se: atquæ vnaquæq; res indiuidua & vna numero se ipsa & sua propria entitate constituitur, nulloq; indiget alio indiuiduationis principio.

XXXVII.

Præter verum transcendentale, quod est ens intellectui conforme, datur etiam veritas cognitionis, ipse scilicet cognitionis actus, cui respondet obiectū ita sese habes, sicuti ipse representat. Hęc altera veritas, etiam annuente Aristotele, tum in complexis, tum in simplicibus apprehensionibus locum habet. Bonum quidem dicitur ens conueniens siue congruum alicui secundum appetitum, siue naturalem, siue elicatum; tamen formalis ratio boni non consistit in appetibilitate, sed potius in conuenientia erga aliquid, ad quam conuenientiam sequitur deinde appetibilitas.

THESES PHILOSOPHICÆ.

XXXVIII.

Distinctio realis est inter entia simpliciter plura: rationis verò distinctio tantum ab intellectu rebus attribuitur. Rerum modi à nulla Philosophorum schola omnino reſiciuntur: verùm à quibusdã sine causa sæpè vsurpantur. Principia complexa omnibus entibus communissima duo afferuntur ab Aristot. Primum, impossibile est idem simule esse & non esse. Secundum, Quodlibet est aut non est.

**OMNIA AD MAIOREM DEI, DEIPARÆQUE
Virginis Gloriam.**

Hæ Assertiones modo quidem facili, at exacto, difficiles Philosophorum quæstiones proponunt. Quare meo iudicio cum Studiosorum commodo excudi possunt.

Adamus Gerick S. Theologia D. & Professor Ordinarius, nunc Collegij Theologici Decanus, & Academiæ Rector.

Præsentem ex Logica, Physica, & Metaphysica disputationem, vt publicè proponatur, dignam iudico.

Conradus Reibing Societatis Iesv, Philosophia Professor, & Collegij Philosophici hoc tempore Decanus.

